

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

H. ZANCHII PRAELECTIONES ALIQVOT, Define seculi, in ea 1. Joan. 2. verba:
παιλίαέχατη ωρα εξίν, &c.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561



H. ZANCHII

P R Æ L E C T I O N E S A L I Q V O T,

De fine seculi, in ea 1. Joan. 2. verba: *παρὶς ἐσχάτης ὥρα ἐστίν, &c.*

QUÆTIVM quia præsens locus, ut aliquid de fine seculi dicam, postulare videtur (nam qui de fine seculi scripserunt, hunc etiam locum adducunt) & hæc quaestio multos vexavit, & adhuc vexat: idcirco quid de ea sentiendum sit, paucis aperiam. Quaestionem autem hanc sex capitibus explicabo. Primum erit: An mundus hic habiturus tandem sit finem. Alterum, An certò à nobis sciri possit, quando futurus sit finis huius seculi. Tertium, an liceat homini Christiano indagare, quando futurus sit finis seculi, & rediturus Dominus. Quartum, quæ sit causa cur Dominus tempus hoc noluerit, & nolit à nobis sciri. Quintum, de signis quæ præcessura sunt finem seculi, & an ex illis colligi possit certum tempus, quo venturus sit Dominus. Sextum, de officijs Christiani hominis in hac quaestione de fine seculi.

QUOD ad primum caput attinet, Tria hominum genera negarunt mundum hunc, finem habiturum. Primi fuerunt philosophi, præsertim Peripatetici. Ii enim senserunt, Mundum hunc & nullum vnquam initium habuisse, & nullum finem habiturum: & ideò humanum genus eo tenore & cursu, quo etiam nunc, sic perpetuò in mundo victurum. Sed ij idcirco ita senserunt, quia destituti lumine verbi Dei, cæca tantum carnis sapientia, in inquirenda veritate vfi sunt. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Dei. Horum rationes refellere, operæ precium non est. Nihil enim negotij nobis est cum ijs philosophis. Alij, qui negant mundum hunc, finem aliquando habiturum, sunt quidam *æthei*, & rerum diuinarum illusores, de quibus Petrus: Illud primum scitote, venturos in extremis diebus illusores: *2. Petr. 3.* qui iuxta proprias concupiscentias ambulent, & dicant, ubi est pollicitatio aduentus eius? si quidem ex quo die patres dormierunt, omnia sic permanent, ut ab initio creationis erant. Sed horum inscitiam, vel insaniam potiùs, refellit certitudo verbi Dei.

D. August. Tom. 2. in Epist. 42. ad fratres Maudarense, sic ratiocinatur: Omnia alia, quæ futura prædixerat Spiritus S. in Scripturis, euenerunt, ut de aduentu Christi primo, de destructione Hierosolymæ, &c. Idem Spiritus prædixit etiam futurum finem seculi huius, & Christum secundo rediturum. Ergo certò eueniet. Illorum verò illusorum ratiocinationem sic refellit Petrus: Nam hoc nesciunt volentes, quòd cæli iam olim fuerint, & terra ex aqua, & per aquam consistens Dei sermone, per quæ mundus, qui tunc erat, aqua inundatus periit. Qui autem nunc sunt cæli & terra, eiusdem sermone repositi sunt: & seruantur igni in diem iudicij & perditionis impiorum. Hæc Petrus: quorum verborum sensum nunc planum faciam. Quia illusores à diuturno mundi statu, ipsius perpetuitatem probare nituntur, & verbum Dei derident: Petrus illorum ratiocinationem refellit hoc argumento: Mundus, sicut sermone Dei ex aquis & per aquas constabat: sic etiam eiusdem Dei sermone, cum scilicet Domino visum fuit, iisdem aquis inundatus periit, finemque habuit: & deinde eiusdem Dei sermone repositus fuit. Historia hæc apertissima est, & fuit res toti orbi notissima, & certissima. Ergo eiusdem Dei sermone, sicut prima vice per aquas, sic secundo per ignem, cum scilicet Domino visum fuerit, poterit dissolui, & finem habere. Prædixit autem Dominus, futurum finem seculi, & se se-

cundò reditum. Ergo seculum hoc habebit finem, & Dominus redibit. Seruantur enim nunc isti cæli & terra igni ad diem iudicii, & perditionem impiorum. A diuturno igitur mundi statu, non valet consequentia, mundum esse incorruptibilem, & nunquam finem habiturum: Quia etiam ante diluuium diu durauerat, & tamen postea etiam perijt: & quidem illis rebus, à quibus originem habebat, & sustinebatur, id est, ab aquis. Sic igne, alio mundi elemento, idem mundus peribit. Tertij perpetuitatis mundi assertores: sunt quidam, neq; puri philosophi, qui destituti sint sacris literis: neque etiam illusores, & contemptores rerum diuinarum: sed & Dei timentes, & in sacris literis doctissimi: qualis fuit, præter alios, Philo Iudæus. Is libellum scriptum reliquit, cui titulus est *περὶ ἀφθαρσίας τῆς κόσμου*. In eo libello multis argumentis probare conatur, mundum esse incorruptibilem. Ceterum, si Philo intellexit mundum esse incorruptibilem, quia neque prorsus in nihilum redigetur, neq; etiam in deterius mutabitur: nos quoque cum illo consentimus. Fatemur enim ex verbo Dei mundum renouatum iri: & futurum cælum nouum, & terram nouam. Et certè videtur ita sensisse Philo ex declaratione, qua explicat quid intelligat nomine *φθορᾶς*. Sic enim habet in initio libri, pag. 645. *λέγεται μὲν δὴ καὶ φθορὰ, ἢ πρὸς τὸ χειρόν μεταβολή. λέγεται δὲ καὶ ἡ τῶν ὄντων ἀναίρεσις παντελής, καὶ ἡ ἀνύπαρκτον ἀναγκαῖον λήγειν. ὡς περ γὰρ ἐκ τῶν μὴ ὄντων ὅθεν γίνεται (scilicet naturaliter) ὅθεν εἰς τὸ μὴ ὄν φθείρεται.* Legerat etiam Philo Psalmos & Prophetas, qui hac de re scripserunt. Sed si secus intellexit: pij Christiani non consentiunt. Testimonia enim Scripturarum apertissima sunt de fine seculi huius. Psalmus 102. In initio terram fundasti, & opus manuum tuarum sunt cæli: illi peribunt, tu autem permanebis. Omnes illi sicut pannus veterascent: sicut indumentum mutabis illos, & mutabuntur: tu autem ipsemet, & anni tui non deficient. Matth. 5. Usque dum præterierit cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege. 2. Pet. 3. Veniet autem noctu sicut fur, dies ille Domini: quo cæli cum stridore præteribunt, elementa autem æstuantia soluentur: & terra, & ea, quæ in ea sunt, exurentur. Item: Cæli confluentes soluentur, & elementa æstuantia liquefcent: sed cælos novos, & terram nouam secundum promissum expectamus. Hæc Petrus. Hoc igitur primum Caput retinendum est, mundum hunc, qualis iam est, tandem aliquando finem habiturum: hoc est, in melius esse mutandum: Solum verò Deum, omnis mutationis esse expertem.

Quorsum verò hæc doctrina? Petrus docet 3. cap. 2. Epistolæ. Cum hæc igitur omnia soluantur, inquit, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatis officijs expectantes, & accelerantes in aduentum diei Dei? Argumentum tale est: Cælum & terra renouabuntur in aduentu Christi: quantò magis igitur oportet nos renouari, qui properamus obuiam Christo in aduentum eius? Studendum igitur est perpetuæ renouationi, & corde soli Deo adhærendum: qui solus est omnis mutationis expers: reliqua verò sunt contemnenda, quia omnia mutabuntur, & omnium tandem finis erit. In hunc etiam finem Apostolus noster mentionem primò fecit Vanitatis mundi: deinde dixit, esse nouissimum tempus, quo scilicet instat aduentus Christi. Quorsum hæc? Vt contempto mundo, deinde euitatis Antichristis, fortes in doctrina Apostolica vigilemus, sobriè & iustè viuamus, semper parati adeundum obuiam Christo.

Secundum Caput est: An sciri à nobis possit, quando futurus sit finis seculi. An omnes teneamur desiderio cognoscendi quando futurus sit finis seculi, & rediturus Dominus: res est perspicua. Hoc enim desiderium tenuit etiam Sanctos, Prophetas, & Apostolos. De Daniele manifestum est in cap. 12. Postquam audiisset ab Angelo, id est, à Christo, de Antichristo, quæq; in fine seculi ventura essent, interrogauit Dominum dicens: Domine, quod nouissimum illorum? De Apostolis patet Matth.

Matth. 24. & in Acto. 1. Domine, quando hæc erunt? Est igitur innatum hoc omnibus desiderium, futura sciendi: & præsertim, quando finis futurus sit mundi. Sed an hoc sciri à nobis possit, nunc quæritur. Dominus quidem Iesus docuit, nullo modo sciri posse, cum dixit: De die autem illa & hora nemo scit, ne angeli quidem cælo-
 rum, sed Pater meus solus: id est, Certum tempus, quo hæc à me vobis prædicta ven-
 tura sint, solus Pater nouit: Singulis tamen temporibus non defuerunt, idque in
 Ecclesia Christi, qui illud sciri posse tradiderint. Alij quidem certò, ac proinde cer-
 tum annorum numerum (tanta est humana temeritas) à primo Christi aduentu vs-
 que ad secundum statuere ausi sunt. Alij probabiliter, ita vt in indagando hoc tem-
 pore non multum errari posse contenderint: ac proinde quibusdam vsi coniecturis
 quantum adhuc temporis vsque ad alterum Christi aduentum superesset, vtcunque
 definire tentarunt. Quanquam verò magnum discrimen est inter illorum temeri-
 tatem, & horum curiositatem: tamen sicut illa omnino improbanda atque damnan-
 da est: ita hæc, mihi non satis probari potest. Vera enim pietas postulat, vt certi
 quidem simus futurum finem seculi, & reditum Dominum: sed quando, hoc est,
 quoto vel die, vel mense, vel anno, vel seculo & ille futurus, & hic rediturus sit, in-
 genuè nos ignorare, & nullo modo posse scire, iuxta doctrinam Christi, fateamur
 necesse est. Ac proinde iuxta eiusdem Christi mandatum, quotidie vigilemus & o-
 remus: expectantes in dies & horas Dominum nostrum Iesum Christum: semper
 parati, cum lampadibus luce fidei accensis, & oleo bonorum operum instructis, ob-
 uiam illi prodire. Sed videamus, quæ fuerint ista de tempore finis seculi, & reditus
 Domini, hominum iudicia.

Temporibus Apostolorum fuerunt qui dicerent: Etsi non possit sciri dies &
 hora aduentus Domini: tamen non procul ab fuisse ab eo tempore diem Domini, &
 finem seculi. Alij dicebant, hanc fuisse doctrinam Apostolorum: Alij, hoc fuisse nu-
 per reuelatum: alij, rationibus & coniecturis persuadere hoc conabantur. Sed hos
 repressit Apostolus, dicens: Rogo autem vos fratres, per aduentum Domini nostri
 Iesu Christi, & nostri & ipsius aggregationem: ne citò dimoueamini à mente, neque
 turbemini vel per Spiritum, vel per sermonem, vel per epistolam tanquam à nobis
 scriptam, quasi instet dies Domini. Docet Apostolus, impostores quosdam tribus v-
 fos fuisse vijs ad persuadendum, instare diem Domini: Primò reuelationibus, quòd
 hoc certò scirent per Spiritum reuelationis. Secundò, ratiocinationibus & conie-
 cturis: idèò dixit, vel per sermonem: Tertiò, epistolis suppositicijs, & testimonijs A-
 postolorum: idèò dixit, per Epistolam. Sed quid Apostolus? Ne dimoueamini, inquit,
 quasi instet dies Domini: quia nisi venerit discessio primùm, &c. Docuit, priùs fu-
 turam vniuersalem *δοξασίαν*, vel (vt volunt alij) defectionem Romani imperij: &
 reuelatum iri Antichristum cum suo regno, antequam veniat dies Domini. Sed
 quamdiu post aduentum Antichristi esset futurus finis seculi, & dies Domini, cen-
 tum, mille, an plures annos; Apostolus non docuit. Quare? Quia neq; ipse sciebat,
 iuxta illud Matth. 24. De die autem illa, & hora, &c. Ecce quid tempore Apostolo-
 rum etiam inter fideles sparsum fuerit de fine seculi. eos verò errasse, res ipsa docet.

Post Apostolorum tempora etiam non defuerunt, qui certum annorum nu-
 merum definierint, vsque ad secundum Christi aduentum, & finem seculi. Inter
 gentes prophanas vulgatum fuerat, tanquam diuinum oraculum: Religionem
 Christianam, postquam Christus cœpit coli, duraturam annos duntaxat 365. & mox
 finem habituram. Recitat hoc August. Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 18. cap. 53. & quàm
 falsum fuerit, ostendit cap. 54. Quia verò post finem religionis Christianæ in terris
 mox erit finis seculi: idèò nonnulli Christiani hoc oraculo permoti, putabant post
 elapsos illos 365. annos, mox finem seculi futurum. Apparet quàm fœdè etiam ij
 hallucinati fuerint.

Tem-

Tempore etiam Cypriani, qui floruit post Christum anno circiter 250. credebatur instare finis seculi. Apparet hoc ex Epistolis Cypriani: immò in libello ad Fortunatum, de exhortatione martyrij (si tamen Cypriani est) initio pag. 244. leguntur hæc verba: sex millia annorum plenè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Et si liber non est Cypriani: apparet tamen, quæ tum temporis, cum hic liber editus fuit, in Ecclesia apud multos de fine seculi opinio fuerit: tunc scilicet sex millia annorum compleri cœpisse, & consequenter finem seculi cœpisse instare. Quàm verò fœdè errarint, res ipsa docet.

Tempore Lactantij: qui floruit anno circiter 317. post Christum natum, qualis esset opinio in Ecclesia de fine seculi, patet ex eius Institutionibus. lib. 7. cap. 25. ait: Omnis expectatio (scilicet finis seculi) non amplius quàm ducentorum videtur annorum.

Tempore etiam Augustini, Hieronymi, & talium virorum, permultos fuisse in hac sententia de proximo fine seculi, apparet ex libris August. Tom. 5. de ciuitate Dei lib. 18. cap. 53. narrat quosdam statuisse ab ascensione Domini vsque ad finem seculi, annos 400. alios verò 500: alios 1000. Sed omnes deridet Augustinus, & refutat dictis Domini Actor. 1. Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Matth. 24. De die autem illa & hora, &c.

Quidam etiam Episcopus tempore Augustini, nomine Hesychius, videbatur sentire: Et si de die & hora aduentus Domini nemo scire potest, sicut Dominus dixerat: tamen certum aliquod tempus & annorum spacium statui posse ab aduentu primo Christi in carnem, vsque ad secundum eiusdem aduentum. Proinde Christianis inquirendum esse hoc tempus. Et hac de re scripserat ad August. Tom. 2. epist. 79. Præter alia Scripturarum loca, quibus in hanc sententiam abutebatur, fuit & ille locus Daniel. 9. de LXX. hebdomadibus. Illum enim locum posse intelligi de tempore, quod ab aduentu Christi in carnem, vsque ad alterum Christi aduentum intercedit. Vel saltem à simili sic posse colligi: Sicut à tempore prædicti vaticinij Danielis vsque ad primum Christi aduentum, intercesserunt hebdomadæ annorum 70. sic etiam à tempore primi aduentus vsque ad secundum, intercessuras totidem annorum hebdomadas. Inde igitur colligi posse certum tempus, vsque ad finem seculi. Sed Augustinus docet, locum Danielis nullo modo posse de tempore aduentus secundi intelligi. Qui volet, legat reliqua Scripturarum testimonia, quibus abutebatur Hesychius ad suam sententiam probandam: & deinde legat responsiones Augustini ad singula loca, epistola ad Hesychium 80.

Ad illud verò quod Dominus dixit Apostolis, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, &c. sic respondebat Hesychius: Illud tantum fuisse dictum Apostolis. noluisse enim vt illi hoc scirent: quia noluit eos testes esse consummationis mundi, sed suæ tantum passionis & resurrectionis. Ceterum voluisse, vt nos alij tempus hoc mundi consummationis agnoscamus. Et huc trahebat etiam illam Christi reprehensionem, qua Phariseos reprehendit, dicens: Vos nostis iudicare faciem cæli, & non nostis tempus visitationis vestræ? Interpretabatur hoc, ille Episcopus de tempore secundi aduentus Christi, cum tamen de primo aduentus tempore locutus sit Dominus. In summa concludit Augustinus, ex nullis Scripturarum locis colligi posse tempus de fine seculi, vel Christianis esse inquirendum, cum scriptum sit, & omnibus dictum, Non est vestrum nosse tempora: vel sciri à quopiam posse, cum scriptum sit, De die autem illa & hora, id est, de tempore reditus Domini, nemo scit.

Sic Gregorius Papa à corruptis moribus sui seculi & varijs prodigijs suo tempore visis, subinde solitus erat dicere: Suum seculum non longè abfuisse à fine mundi. Sed ipse quoque falsus fuit.

Nunc

Nunc venio ad nostri seculi homines. Multi ijque doctissimi & pii viri senserunt, etsi nullum certum tempus inter primum & secundum Christi aduentum certo statui potest: probabilibus tamen coniecturis, quantum adhuc vsque ad finem seculi temporis super sit, vtcunque sciri & indicari posse. Res ipsa nondum patefecit, an hallucinentur, nec ne: qui longè post nos sequentur, an ij pii & docti viri fuerint in ijs suis coniecturis falsi, nec ne, intelligent. Illud verò tantum ego contendendo, coniecturas quas afferunt, esse admodum infirmas: proinde illis nihil de tempore finis seculi probari aut definiri posse. Præcipuas proferemus, & eas examinabimus. Prima coniectura horum hominum, sumitur à sex millibus annis, quibus dicunt mundum duraturum. Hebræi enim scriptum reliquerunt in suis libris, præsertim in Sanedrini, hoc fuisse Eliæ Prophetæ vaticinium: Sex millia annorum erunt seculi: duo millia inane: duo millia lex: duo millia Messias. Et si quid ex illis defuerit, defuturum propter peccata nostra.

Irenæus quoque libro 5. cap. ultimo concludit, mundum sex tantum millibus annorum duraturum. Collegit autem hanc suam commentationem non ex Hebræis, sed ex simili sex dierum, quibus creatus fuit mundus: post quos sex dies, fuit Sabbathum, id est, dies requietis. Hoc autem (ait) est & præteritorum narratio, & futurorum prophetia. Dies enim vnus mille annos significat, sicut Scripturæ testantur: & 2. Petr. 3. Mille anni ante Dominum, sicut dies vnus. Ergo sicuti consummatus fuit mundus in sui creatione intra sex dierum spacium, & postea quies: sic in sui fine consummabitur intra spacium sex millium annorum, deinde vera & perpetua quies subsequetur.

Lactantius quoque Firmianus lib. 7. cap. 14. ait, Sex millium annorum spacio consummatum iri mundum: & ex eodem fonte, vnde & Irenæus, hanc coniecturam accepit. Hanc sententiam de duratione mundi vsque ad sex millia annorum, multi amplexi sunt. Vnde & Gregorius Papa Tom. 2. in 9. cap. lib. 1. Reg. colum. 1415: Mundus, inquit, sex diebus conditus est, & sex ætatibus consummatur. Addunt postea, non completum iri perfectè sextum millenarium: idque partim probant ex vaticinio Eliæ, partim ex dicto Christi Matth. 24. Et nisi decurrantur dies isti, &c.

Quanquam enim ibi loquitur de destructione Hierosolymæ: tamen etiam de tempore consummationis mundi intelligi posse volunt. Cum hæc ita se habeant, aiunt: Duo millia fuerunt ante legem, duo millia post legem (idque iuxta supputationem Hebræorum) & de duobus millibus Messia iam elapsi sunt mille quingenti & sexaginta: supersunt autem 400. & ex eis etiam aliquot adimentur: ergo non potest durare mundus supra annos maximum 400. circiter. Hæc est prima illorum coniectura. Sed quis non videat, quàm sit imbecilla? Primò enim dictum Helia, quonituntur, non est authenticum. Valet quidem aduersus Iudæos, qui vaticinium illud admittunt: ad probandum, venisse Messiam, cum iam elapsi sint anni quinquies mille & 560: sed ad finem seculi demonstrandum, nihil valet.

Ratiocinatio etiam Irenæi & Lactantij nimis infirma & debilis est: ideò iurè eam refutat Augustinus. Deinde hoc dico esse contra verbum Dei. Nam Dominus ait, neminem scire posse, quando sit futurus finis seculi. De die autem illa, &c. Si igitur vera esset hæc sententia de sex millibus annorum; facile possemus scire quando futurus esset finis seculi. Hoc autem esset contra verbum Christi. Ergo falsa est sententia de duratione mundi per millia annorum sex

Secunda coniectura colligitur ex quatuor Monarchijs mundi, quæ Daniel. 2. & 7. describuntur. Res ita se habet. Describuntur quatuor Monarchiæ mundi, ita vt vna aliam subsequatur. Prima est Monarchia Chaldæorum & Assyriorum: secunda Persarum: tertia Græcorum: quarta Romanorum. Illis quatuor

tuor Monarchijs destructis, id est, illis tribus funditus deletis: & quarta in varia regna, seu in partes dissecta: prædicit Daniel cap. 7. exoriturum cornu vnum, inter illa decem priora cornua: id est, regnum vnum alijs fortius & potentius, quod loquetur grandia, &c. Et cum istud regnum per vnum cornu significatum, venerit vsque ad summam potentiam, ita vt putet se posse mutare tempora & leges: mox futurum iudicium, & Christum æternum regnaturum. Hoc autem cornu, quod è Romano Imperio ortum est, interpretantur Turcarum regnum. Sic itaque colligunt: Tres Monarchiæ perierunt funditus: Monarchia quoque quarta perijt, quia in varias partes diuisa est. Cornu autem, id est, imperium Turcarum, circa tempora Heraclij cœpit erumpere (eo enim tempore cœpit Mahomet regnare.) Hoc autem regnum Turcicum ferè vsque ad summum fastigium peruenit: præualet sanctis, & parum abest quin putet iam se posse mutare leges & tempora. Cum autem hoc contigerit, veniet antiquus dierum. Ergo parum temporis superest ad aduentum Christi secundum.

Respondeo: Si intelligunt minus temporis nunc superesse, quàm antea: verissimum est. Si etiam quod superest, parum esse dicant præ æternitate regni Christi: hoc etiam damus, vt certissimum. Sed si intelligant parum temporis superesse, id est, superesse adhuc vel 100. vel 200. vel 300, &c. annos: dico, nihil posse concludi ex his Danielis locis: qui variè etiam ab interpretibus explicantur. nam vt communem sequar interpretationem: Primum in 2. cap. describit quatuor Monarchias, & de Rom. quidem imperio quinque vaticinatur. Primum describit illius potentiam, quod scilicet tanquam ferrum, omnia regna reliqua esset domiturum. Deinde illius inter se diuisionem, quod scilicet inter se futurum esset diuisum. Tertium, eius crudelitatem ac sauitiam, quod scilicet sanguinis & affinitatis vincula non esset curaturum præsauitia. Quartum, varias calamitates & ruinas, quod scilicet varijs cladibus, ac præsertim intestinis dissidijs & bellis esset afficiendum. Quintum, eius durationem, quod etsi in multas partes, tanquam duo pedes in decem digitos, diuisum, frangendum erat, quia pedes lutei erant: tamen quia pedum plantæ ferreæ, duraturum esset, nimirum vsque ad aduentum Regis cæli secundum. Postquam verò hæc de Rom. imperio ratiocinatus fuit Daniel, mox subdit de regno Christi vaticinium: Christum inquam derepentè omnia illa regna destruturum, & solum regnaturum in æternum. De duplici autem Christi aduentu vaticinatur: de eo qui fuit in carne cum Euangelij prædicatione: & de eo qui futurus est in gloria. Ac de primo quidem ait: & in diebus regum illorum excitabit Deus cæli, regnum, quod in æternum non corrumpetur. Non ait, post dies regum illorum: sed, In diebus, &c. Christi enim regnum, cum regnarent adhuc Romani, & toti orbi dominarentur, in terra excitatum fuit: & annos ferè sexcentos, regnantibus adhuc Romanis, durauit, nimirum ad Heraclij tempora: & etiamnum durat, durabitque in finem vsque mundi. Postea de secundo aduentu Christi, cum scilicet regnum tradet Deo & Patri, subactis omnibus inimicis suis, ait, Demum, quod vidisti, quod à monte præcisus lapis ille, sine manibus comminuit ferrum, æs, testam, argentum, aurum: Deus magnus significauit regi, quid futurum sit post hæc. Hæc Propheta. Atque ita legit & interpretatus est doctissimus Oecolampadius: adducto etiam D. Hyppolito: qui ait: λίθος ὁ πᾶσι τῶν ἐκόντων τὴν γῆν χρυσὸς, ἐρχόμενος ἀπ' ἐβανῶν, καὶ ἐπάγων τῷ κόσμῳ κρίσιν.

Ceterum hic nulla ponitur temporis præscriptio, à primo vsque ad secundum Christi aduentum. Quare ex hoc vaticinio, quod est in 2. cap. Daniel. nihil de fine seculi, an futurus sit hinc ad 100, vel 200, vel amplius annos, concludi potest. Quanquam vt alij volunt, simplicior eius loci interpretatio fuerit, si intelligatur, non tam de personæ Christi, quàm de regni eius exortu, progressuque per vni-

uer-

uersum orbem in finem vsque mundi, deque sempiterna eius continuatione. Sic enim explicatur ab ipso Daniele in eodem capite. Hoc autem modo, quid inde potest de certo tempore finis seculi colligi? Regnum Christi, prout propagabatur Euangelij prædicatione per totum orbem terrarum, sic etiam simul regnum Romanorum, id est, quartam Monarchiam, cum suis idololatrijs euertebat, atque etiam nunc imaginem illius euerse Monarchiæ, regnum nimirum Antichristi semper euertit, & euertere perget in finem vsque seculi, donec penitus aboleat. Certum enim est non futurum finem seculi, antequam totum hoc Antichristi regnum aboleatur, vt docet Apostolus, in 2. Thess. cap. 2.

Sed quis definire queat tempus, quo regnum Antichristi finem omnino habiturum sit? Qui hoc poterit efficere, effecerit & illud.

Deinde sunt, qui vaticinium Danielis minimè de altero, sed de priori tantum Christi aduentu intelligi velint: & ita etiam illud, quod est cap. 7. Hoc enim fuisse Dei consilium, vt Nebucodonozori significaretur, quænam regna essent secutura, & quòdnam postremum omnium, regnum nimirum Christi: atque hoc futurum perpetuum, alijs omnibus collapsis: quando autem illud esset in terris duraturum, hic non agi, neque per Danielem voluisse Deus nobis significari, cum ne per filium quidem ipsum illud voluerit. Iuxta hanc interpretationem, nihil ineptius fieri potest, quàm si ex hoc Danielis vaticinio, aliquid certi de tempore finis huius mundi concludere velis.

Postremò non desunt, qui sic verba Danielis interpretentur, vt nullo modo velint, eum de Monarchia Romana quippiam dixisse: sed quæ de hac alij omnes interpretati sunt, ea esse de regno Seleucidarum intelligenda: idque propterea, quòd à nullo vnquam regno fuerit peius & durius tractata Ecclesia Iudaica, ante aduentum Christi, quàm ab isto, & præsertim ab Antiocho Epiphane, quem intelligunt nomine vltimi cornu. Daniel. 7.

Ac, qui sic interpretantur, ij rationes habent non contemnendas interpretationis suæ. legantur annotationes Tremellij & Iunij. Si verò hanc admittamus interpretationem: quid opus est, ex Daniele coniecturam sumere, de tempore finis seculi, cum nihil minùs, quàm de hac recogitarit?

Atque ex his patet responsio ad locum ex cap. 7. Vbi volunt nomine vltimi cornu intelligi debere Turcicum imperium.

Primum enim negari non immeritò potest, illo vltimo cornu Turcicum imperium significari. Nam antiqui Patres, tam Græci, quàm Latini, per cornu illud intellexerunt Antichristum cum suo regno: & hunc quidem (Patrum sententiam refero) venturum sub finem seculi, eumque derrepentè inter decem cornua, id est, inter decem reges exoriturum: sed quando venturus sit, à nobis sciri non posse. Quare neque debere nos præoccupare consilium Domini, vt inuestigemus, quando ista ventura sint. Audiamus D. Hyppolitum, hunc Danielis locum explicantem: ὡς περ ἐπὶ τῆς παραδόσεως προείπεν ὁ προφήτης, ὅτι πέντε κεφαλὰὶ τῷ κυρίῳ, καὶ ἐγένετο, καὶ ἐμελέσθη ἡ βασιλεία Ἀλεξάνδρου, εἰς πέντε ἀρχάς, ἕτω καὶ νῦν προσδοκῶν δέ, ἕως ἀναβῆσθαι δέκα κέρατα ἐξ αὐτῆς πάντης (scilicet βασιλείας, id est, imperij Romani) ὅταν ὁ χρόνος τῆς θρησκείας πληρωθῇ, καὶ τὸ μικρὸν κέρατος, ὅπερ ἐστὶν ὁ ἀντίχριστος, ἐν αὐτοῖς αἰφνιδίως ἀναφανῇ· καὶ ἡ δικαιοσύνη ἐκ τῆς γῆς ἀρθῇ, ὅ ὅπως κόσμος, εἰς σωτέλειαν παρῇ· ὥστε ὁ λαμβάνειν ἡμᾶς δέ, τὴν τῆς θείας βουλῆς, ἀλλὰ μακρὸν θυμὸν καὶ δέος, ἵνα μὴ εἰς τοιαύτας χρόνας ἐπέσωμεν, οὔτε μὴ ἀπίστεῖν ὡς μὴ μέλλοντα γίνεσθαι. εἰ γὰρ πρῶτον οὐ προείπον οἱ προφῆται, καὶ ἐγένοντο, μήτε ταῦτα προσδοκῶν. εἰ δὲ ἐκεῖνα ἐγένοντο κατὰ καιρὸς ἰδίως καθὼς προείρηται, πάντως καὶ ταῦτα τελεσθήσεται.

Hieronymus quoque hunc locum Danielis de Antichristo interpretatur, & quid intelligat nomine Antichristi docet: hancque sententiam esse ait omnium scriptorum Ecclesiasticorum. Verba Hieronymi hæc sunt: Ergo dicamus, quod o-

omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuidant: & vndecimum surrecturum esse regem paruulum, qui tres reges, de decem regibus superaturus sit, id est, Aegyptiorum regem, Africæ & Aethiopiæ, sicut in consequentibus manifestius dicemus. Quibus interfectis, etiam septem alij reges victori collum submittent. Et ecce, ait, oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto. Nec eum puremus, iuxta quorundam opinionem, vel diabolum esse, vel dæmonem: sed vnum de hominibus, in quo totus Sathanas habitaturus sit corporaliter: & os loquens ingentia. Est enim homo peccati, filius perditionis, ita vt in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.

Dominus autem Bullingerus, scriptor grauissimus, consentit cum Patribus in huius cornu interpretatione: Sed ex historijs demonstrans, Antichristum iam venisse, tria alia cornua excidisse, ipsum verò alijs sibi subiectis creuisse, suumque regnum ampliasse, & Romæ solium habere suum. Quid verò si cum Caluino acutissimo & doctissimo interprete, nomine huius cornu intelligere velimus (vt certè non pauci eius sequuntur interpretationem) ipsum Iulium Cæsarem, & reliquos qui ei successerunt, Augustum, Tyberium, Caligulam, Claudium, Neronem, & alios Cæsares? imperiumque horum Cæsarium?

Quid si cum alijs dicamus, cornu illo significatum fuisse Antiochum Epiphanem? Is enim Iudaicam politiam vehementissimè omnium afflixit, & cultum euerit, & idololatriam introduxit, quemadmodum aperte explicatur Macchab. 1. Vt non sit opus alio interprete: qua in re fuit verus Antichristi typus. Quid verò ex his de fine seculi colligi potest? Daniel nihil adhuc egit de altero aduentu Christi, cum versetur in explicandis illis Monarchijs, quæ præcedere debuerunt primum aduentum.

Tertia coniectura, à tempore quo Antichristus reuelatus, regnaturus est: ducitur. Scripturæ videntur tradere (inquiunt nonnulli) Antichristum regnaturum annos tres cum dimidio. Huc refertur illud suprà dictum tempus Danielis: Tempus, Tempora, & dimidium Temporis. Sed locus clarior est in Apocal. 12. Datum est gentibus (id est, Antichristo & eius membris) & ciuitatem calcabunt mensibus 42. 42 autem menses, tres annos cum dimidio conficiunt. Post elapsum autem hoc tempus Antichristo concessum in Sanctos, docet Ioannes in Apocalyp. 17. Agnum venturum, qui Antichristum interficiat. Sic itaque ratiocinantur. Antichristus postquam reuelatus fuerit, tres annos cum dimidio tyrannidem exercebit in sanctos, & postea veniet Christus. Anni isti sunt (vt ipsi interpretantur) anni iubilæi. ita vt vnus annus, 50. annos naturales significet, & ita tres anni cum dimidio, conficiunt annos 175. Antichristus est Papa, & hic iam reuelatus est annis abhinc circiter 45. Superfunt igitur adhuc vsque ad secundum Domini aduentum, anni circiter 130. Et ita certum aliquod tempus de fine seculi ex Scripturis colligi potest.

Respondeo: Hæc etiam coniectura debilis & infirma est. Nam primò, nomen annorum trium cum dimidio, Patres acceperunt pro annis naturalibus: & dixerunt, tot annos naturales regnaturum Antichristum, ante aduentum Christi. Quare firmum non est, quod pro annis Iubilæis interpretantur.

Deinde, etsi non nego, regnum Papæ esse regnum Antichristi, quatenus in eo permulta defenduntur, quæ ex diametro pugnant cum doctrina Christi: ac proinde etiam non inficior, ipsum Papam, dum regnum illud pugnans cum regno Christi defendit, & doctrinæ Christi sese pertinaciter opponit, esse Antichristum: negari tamen non potest (tanquam scilicet probabile) quin sub finem seculi futurus sit quidam homo in Ecclesia Christi, qui reliquos omnes Antichristos malitia, potentia, &c. superet: quique editurus sit miracula. Et de hoc homine aliquis

conten-

contendere poterit, vaticinium illud Ioannis, adde & Daniëlis de tribus annis cum dimidio, quibus ille regnaturus dicitur, intelligi posse: vt neque à Patrum sententia discedat prorsus: neque interim diffiteatur id, quod omnes nostri consentienter docent atque demonstrant, de Antichristi aduentu. Quare quòd argumentantur à tempore reuelati Antichristi in Papa Romano, ad tempus finis seculi: ibi paralogismus est ὁμωνυμίας, cum Antichristus aliquando capiatur pro omni eo, qui doctrinæ Christi sese opponit pertinaciter: aliquando pro toto regno Antichristi: aliquando κατ' ἐξοχήν pro excellentissimo omnium nebulone, qui in regno Antichristi super eius thronum, sub finem seculi sessurus est.

Postremò, etiam si demus vaticinium illud Ioannis de regno Antichristi iam reuelati intelligendum esse: non tamen ex illo 42. mensium numero inferri potest, superesse adhuc 130. annos circiter, propterea quòd anni illi sint anni Iubilæi. Nam hanc annorum interpretationem, quòd scilicet sint anni Iubilæi, facile quis rejiciet: & contendere iustè poterit, numerum certum pro incerto positum fuisse, & ita etiam D. Bullingerus interpretatur: vt tale tempus ponatur ab Angelo, quod Deo quidem certum sit, nobis verò incertum. Et reuera meo etiam iudicio aliter intelligi non potest illud tempus. Nam si esset certus nobis numerus; vtique possemus scire quando futurus sit seculi finis. Atqui hoc sciri non potest, propter verbum Christi: De die autem illa & hora nemo scit. Nihil igitur certi ex hoc ἀποκαλύψεως loco, de tempore finis seculi concludi potest.

Quarta etiam coniectura, ad illam quam deducunt ex tempore quod ponitur ex Danielis 12. refertur: a tempore oblationis iugis sacrificij, & positæ abominationis desolationis, dies erunt 1290. Beatus qui expectat, & attinget dies 1335. Et si (inquiunt) videtur hic numerus de bellis Machabæorum vaticinari: tamen aliquid etiam significat de fine mundi. Volunt igitur per dies intelligi annos, & designari annos mundi, qui reliqui erant à tempore Danielis vsque ad finem seculi. Sunt autem primum anni 1290, deinde additi 1335. ij omnes simul sumti, dant annos 2625. A tempore autem quo Daniel hoc edidit vaticinium, vsque ad primum Christi aduentum, fluxerunt anni circiter 600. Restant igitur adhuc vsque ad finem à Christo nato, anni 2026. Nuncautem, anno scilicet 1561, ex ijs 2025 annis, fluxerunt anni 1560. Superfunt igitur adhuc vsque ad finem seculi, anni circiter 425.

Respondeo. Hinc etiam nihil concluditur. principio nullo modo conuenit cum Prophetæ vaticinio: vt hæc de bellis Machabæorum intelligantur, quæ aduentum Christi antecesserunt: eo quæ nec de profanatione Templi, quæ sub Antiocho contigit. Apparet enim manifestè, Prophetam in fine suæ prophetiæ, de his quæ post vltimam templi destructionem, totiusque cultus Mosaici abrogationem (vt in capitis 9. sine prædixerat propheta) in finem vsque mundi, euentura erant Ecclesiæ, vaticinari: id quod & Christus hunc citans locum Matth. 24. manifestè docuit, quum dixit: quum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta. De desolatione ergo seu templi euerfione, quæ iugis sacrificij, hoc est, totius Mosaici cultus abrogationem secuta est, loquitur Propheta, Christo ipso interprete: non autem de illa profanatione, quæ sub Antiochi tyrannide contigit. Adde quòd cap. 8. Daniel isti, quæ futura erat per Antiochum, attribuit dies 2300: huic autem 1290. ita manifestum fit, tempus de quo hîc loquitur Daniel, incepisse ab vltima abominanda & perpetua templi vastatione, quæ per Romanos facta fuit: & continuari ad finem vsque mundi: quo Daniel vnà cum alijs à sua quiete, hoc est, à monumento, in quo quiescit, resurget, stabitque viuus in sua sorte: hoc est, in æterna beatitudine, post finem omnium dierum. Quod cum ita se habeat: consequitur, nullam temporis de quo hîc loquitur Propheta, partem referri posse ad annos, qui Christi aduentum præcesserunt. Quare non valde peritè faciunt, qui

ex his duobus numeris 1290, & 1335 ita conficiunt annos 2625, vt 600 referant ad tempus, quod Christi aduentum in carne præcessit: Actum inde colligunt superesse à primo Christi aduentu vsque ad secundum, annos 2026. certè si distinguendi sint, & deinde coniungendi isti duo numeri, & dies pro annis accipiendi: fateri oportebit, à iugis sacrificij, hoc est, sacrificiorum omnium Mosaicorum abominatione, & vastatione vsque ad vltimum Christi aduentum intercedere annos 2625. Ceterum quòd etiam duos istos numeros, quasi re ipsa diuersos distinguunt, & postea coniungunt: nullam habet firmitudinem. Non desunt enim viri & illi quidem magni, qui idem vtroque numero significari velint: nempe multo quidem tempore affligendam fuisse & esse Ecclesiam in finem vsque mundi, sed tamen fortiter esse perseverandum & expectandam liberationem: quia cum nihil minus cogitabitur, quàm de liberatione à malis istis, tum demum derepente, & quasi in medio temporis cursu eripietur ex his omnibus Ecclesia. Adde quòd dici potest, vt multi volunt, numerum hunc, sicut etiam supra, certum pro incerto poni: id quod Angelus innuere voluisse videtur, quum de eodem tempore loquens, varium ponit dierum numerum: primum 1290: deinde 1335. si enim à tempore ablati iugis sacrificij, non erant vsque ad finem, nisi 1290 dies, quibus affligetur Ecclesia: quomodo statim subdit beatum illum futurum, qui in hac malorum tolerantia perstiterit fortis vsq; ad dies 1335? causam certè non video: nisi quia voluit significare idem tempus alijs magis, alijs minus visum iri diuturnum: eoq; incertum nobis esse totum illud temporis spacium. Omitto quòd Patres & alij nonnulli locum hunc intelligunt, sicut & alterum in cap. 7. de tribus annis cum dimidio, quibus vltimus ille Antichristus regnaturus esse, apud antiquos dicebatur. nam dies 1290, idem sunt ipsis, quod & tempus, tempora & dimidium temporis: quia conficiunt annos tres cum dimidio: Denique sunt qui velint hunc esse repetitionem, atque explicationem eius: quod etiam supra ad finem capitis 9. dixerat, de tempore scilicet intra quod iugi sacrificio funditus abolito, ipsum quoque templum per Romanos euertendum erat, nunquam reaedificandum: nempe intra annos tres cum dimidio plus minus: tanto enim tempore protractum & confectum fuit illud bellum: quod mox insecuta est, tum vrbis, tum totius gentis horrenda vastatio. Atque ita legunt angeli verba: Ac de tempore quo tollendum (dixi) iuge sacrificium, & ponendam abominationem desolationis: dies sunt 1290. & hunc aiunt verum esse sensum: Rogasti Daniel, quis demum rerum omnium finis futurus sit: ostendi tibi, finem istum clausum & obsignatum esse: neque tibi aut vlli mortalium amplius quicquam eius reuelandum, quàm reuelatum est. At de fine sacrificiorum, politiæ, gubernationisq; Iudaicæ, adeoque de bello à Romanis inferendo Iudæis, de quo antea quoque in cap. 9. disserui, si scire certum cupis, quando hoc finiendum sit aut quibus terminis concludendum: certissimam possum tibi commonstrare supputationem: nempe finiendum hoc intra dies 1290: imò intrà dies 1335. Sic illi. Ergo ex Daniele nihil certi de tempore finis seculi colligi potest: nisi quòd tempus hoc definitum quidem est apud Deum: sed nobis ignotum: & quòd per illud tempus affligetur Ecclesia mirabiliter. Danieli enim inquirenti hunc finem, responsum fuit: Abi Daniel, quia clausa & obsignata sunt verba, vsque ad tempus finis: Multi purgabuntur & dealbabuntur & conflagabuntur, & impii agent impii. Daniel. 12.

Quinta coniectura, 1. Timoth. 4. Spiritus enim dicit, quòd in nouissimis diebus discedent quidam à fide, &c. Item 2. Tim. 3. in nouissimis diebus erunt tempora χαλεπὰ, homines sui amantes, &c. Respondeo: Etiam cum hæc prædicebat Apostolus, permulti tales erant in mundo. ideo ait, Sed & hos deuota: ex ijs enim sunt qui penetrant domos, &c. At nunc plures tales. Respondeo: Quid si multò plures & peiores futuri sint post nos, & præsertim in fine mundi? Augustinus quoque

ita ad argumentum ex hoc loco Apostoli ductum, respondet in Epistola ad Hesychium.

Aliæ quoque afferuntur coniecturæ: sed hæ quas commemorauimus, sunt præcipuæ. Ex ijs autem nihil certi posse concludi de tempore finis seculi, demonstrauimus. Concludimus igitur, tempus de fine seculi, nimirum vel quoto die, vel quoto mense, vel quoto anno, vel quoto seculo futurum sit, & rediturus Dominus: neque vlla certa scientia, neque vllis firmis coniecturis cognosci ab vlllo mortali-um posse: idque propterea, quod Deus non vult, vt ab alijs præterquam à se cognoscatur. iuxta illud: De die autem illa, & hora, &c. Illud quidem scimus, quotidie viciniorem nobis fieri finem seculi: sed quando tandem futurum sit, sciri à nobis non potest.

Hæc est mea de hac quæstione sententia: quam & piam & S. literis consentaneam esse certò scio, atque vtilem. quanquam non dubito, quin (vt interim quod sentio, liberè dicam) in illis dierum numeris, quos finibus seculorum præfixerunt Daniel & Apocalypsis: magna insint mysteria de illis vltimis temporibus: quæ si quis peculiari Spiritus sancti afflatu donatus, intelligere posset: certius etiam aliquid tum de fine temporum, tum de his quæ sub illa tempora euentura sunt, proferre eum posse non dubitarim. Ceterum donum hoc concessum mihi non est. Qui habet, communicet. Ego prophetiam non spernam: omnia probabo: interim quod bonum est, retinebo.

Hinc sequitur tertium Caput, An liceat indagare hoc certum tempus vt sciamus quando futurum sit finis seculi. Respondeo: Mihi non videri. Nam si Deus non vult vt sciatur: igitur contra voluntatem Dei facit, qui studet & indagat, vt illud certò sciat. Deinde expressè ait: Non est vestrum scire tempora, &c. Si non est nostrum: nobis ergo non licet inuestigare vt sciamus. Propterea Deus, vt declararet mundo quàm sibi hæc curiositas displiceat: effecit, vt quotquot à tempore Apostolorum hucusque, certum tempus de fine seculi statuerunt, conuicti sint erroris. De ordinario cuiusque studio loquor. si quis extra ordinem, ad mysteria intelligenda vocetur: Ego non impedio. tantum quisque videat, ne se ipse fallat: & tentet Dominum. vtilis certè non est curiositas: vtilissima autem est sobrietas. Atque vt laudantur, qui diligunt aduentum Domini: sic video & Danielelem & Apostolos reiectos fuisse, quum curiosè interrogarunt: Quando hæcerunt?

Caput quartum est, cur Deus nolit tempus de fine seculi à nobis sciri? Respondeo: Ob eandem causam, propter quam etiam non vult vt quisque sciat quando moriturus sit: nimirum vt semper vigilemus, & oremus, simusque semper succincti lumbis, & oleo instructas accensasque teneamus lampades, perinde ac si in horam expectetur Dominus. Causam hanc affert Dominus ipse Matth. 24. postquam dixisset, De die autem illa, &c. & exemplo diluuij, quod tempore Nohe præter mundi expectationem de improviso venit, conclusisset, talem quoque futurum aduentum filij hominis, nempe repentinum: mox adhortationem subiecit, dicens, Vigilate itaque, quia nescitis quando filius hominis venturus sit. docens ijs verbis, hanc esse causam cur nolit à nobis sciri certum de fine mundi tempus: nimirum vt certi rediturum esse Dominum, incerti autem quando rediturus sit, perpetuò vigilemus & oremus, in dies & horas illum expectantes. Ideo Augustinus ait in Epistola ad Hesychium, Dominum voluisse vt sciremus primum sui aduentum: quia illius cognitio & vtilis & necessaria nobis erat. vnde reprehendit Dominus Luc. 12. Iudæos, dicens: Vos nostis iudicare faciem cæli, & diem visitationis vestræ non agnoscitis? Qui enim primum aduentum Domini non agnoscit, non potest se ad se-

cundum præparare. Alterius verò aduentus diem & tempus noluit esse manifestum, quia non expedit nobis: ne scilicet dicamus sicut malus seruus Luc. 12: Moram facit Dominus: ita epulemur, & verberemus conseruos, &c. Dominus non vult vt multum temporis nobis promittamus vsque ad ipsius reditum, sed quotidie illum expectemus: quia vult etiam vt quotidie simus parati. Ideo in eodem cap. 24. Matt. ad calcem, subiecit dicens: Quòd si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partemque eius ponet cum hypocritis. ibi erit ploratus, & stridor dentium. Nunc tenemus causam, cur Dominus nolit tempus illud à nobis sciri: nimirum in nostram salutem, ne multum temporis nobis polliciti, instar malorum seruorum bibamus & edamus cum ebriosis, &c. Præposterè igitur contraque Domini voluntatem faciunt, qui indulgentes genio & gulæ: interim tamen curiosè, quando rediturus sit Dominus, disputant.

CAput quintum de signis est, quæ finem seculi & aduentum Domini præcedunt: deque illorum usu. Etsi verò de tempore quo rediturus est Dominus, nihil certi à nobis sciri potest, quia Dominus noluit: signa quædam tamen aduentum Domini, ideoque finem seculi præcurrent, quibus Dominum & certò rediturum, & non procul abesse, pijs cordatisque hominibus patefiet.

Signa autem hæc vniuersa non recensebo: loca tantum aliquot Scripturarum, vbi hæc leguntur, indicabo. Matth. 24. quæ & repetuntur Marc. 13. & Luc. 21. Item quoddam aliud Luc. 17. Item aliud de paucitate verè fidelium, Luc. 18. Rom. 11. de conuersione Israël. Item alia 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 3. 2. Thessal. 2. Ceterum tenenda est horum signorum quædam partitio: Quædam scilicet esse, quæ è longinquo finem seculi præcurrent: quædam verò quæ magis è vicino præcedent. Ad primum genus pertinet illa securitas hominum huius seculi, quæ describitur Matth. 24. Luc. 17. & alibi: Sicut fuit in diebus Nohe, &c. Item sicut fuit in diebus Loth, &c. Item huc pertinet illa à fide defectio, quæ describitur 1. Timoth. 4. Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, &c. quæ & alibi sæpiùs repetitur. Item huc pertinet illa mundi corruptio, quæ describitur à Paulo 2. Tim. 3. In extremis diebus instabunt tempora χαλεπὰ, &c. Erunt enim homines sui amantes, &c. Huc etiam pertinet defectio illa seu ἀπιστία, & regni Antichristi reuelatio, quæ legitur 2. Thess. 2. Hæc signa iam dudum cœperunt, idque è longinquo, præcurrere diem Domini & finem seculi: ita verò præcurrunt, & continuant suum cursum, vsquedum de improviso superueniat Dominus. Ad alterum verò genus, quæ magis è vicino præcedent, pertinet illa mysteriosa populi Iudaici ad Christum conuersio, quæ futura est sub finem seculi, & quam describit Apostolus Rom. 11. Neque enim dubito quin de hac loquatur Apostolus, cum dicat hoc esse mysterium. Huc etiam pertinent illa quæ commemorat Dominus Matth. 24. Erunt signa in Sole & Luna, & Stellæ cadent, &c. Quanquam discrimen etiam est inter illud signum quod est Rom. 11. de conuersione Iudæorum, & inter hæc quæ Matth. 24. leguntur, de obscuracione Solis, & Stellarum casu, &c. Illud enim fiet, antequam veniat Dominus: hæc verò, in ipso Christi aduentu: & illud præcedet finem seculi, hæc verò pertinent ad ipsum finem seculi: cum scilicet (sicut 2. Petr. 3. ait.) Cæli cum stridore præteribunt, & flagrantés soluentur, & elementa liquefcent. Hanc enim cælorum & mundi renouationem credo significari illis verbis Domini: Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen, cadent Stellæ de cælo, &c. hæc de signis satis.

At hîc duæ oriuntur dubitationes. Prima, quæ conueniat illud quod scribit Apo-

Apostolus Rom. 11. de conuersione Iudaici populi sub finem seculi, cum illo Christi dicto in Luc. 18. Cum veniet filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Si enim tunc modica fides reperietur in terra, quomodo igitur numerosa Iudaici populi multitudo conuertetur, nempe per fidem in Christum? Erit igitur & pauca & multa fides in terra. Respondeo: Augustinus ait: Distingue tempora, & concordabit Scriptura: Non simul hæ duo contingent, sed aliquanto diuerso tempore. Credo igitur, sic posse hæc duo loca conciliari. Primum: ille summus & nouissimus Antichristus, qui sub finem seculi venturus est, quique reliquos omnes hypocrisis, astutia, potentia, & artibus diabolicis superabit (in eo enim, vt Patres testantur, habitabit Satan, seu omnis plenitudo sathanicæ maliciæ, sicut in Christo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter) is inquam nouissimus Antichristus omnia subuertet, & omnes (exceptis paucis electis) seducet, partim sua hypocrisis, editis etiam miraculis mendacibus (vt 2. Thess. 2. Paulus testatur) ita vt (sicut Ioannes in ἀποκάλυψις ait) ignem etiam de cælo faciat descendere in conspectu hominum: partim sua potentia & vi. Hoc igitur modo cum venerit filius hominis, id est, sub aduentum Christi, parum certè fidei reperietur in terra. Vbi verò summus ille Antichristus, Spiritu oris Christi interfectus, & vi verbi Dei, quisnam sit (nempe non Christus, sed Antichristus) patefactus fuerit omnibus: tunc fortè Iehudæi cognoscent suum Messiam, ad eum conuertentur, & salui fient, &c. Regnante igitur Antichristo, vix fides vlla reperietur in terra: illo interfecto, permulta.

Altera quæstio: Si signa permulta præcedent finem seculi, quibus patefiet pijs hominibus non procul abesse Dominum: quomodo igitur ante conclusisti, non posse, quando venturus sit Dominus, & finis seculi futurus, ab vilo sciri? Respondeo: Hæc non pugnant. Et si enim illa signa indicabunt pijs, non procul abesse Dominum: certum tamen tempus, quo venturus sit, inde colligi haud poterit. Ecce: è signis, quæ præcurrunt Domini aduentum, multa iam dudum contigerunt: quanta licentia & securitas? quanta religionis & morum corruptio? quot & quantæ hæreses? Dominus ait: Sicut in diebus Nohe, Matth. 24. & Luc. 17. Et Apostolus: In diebus nouissimis erunt homines sui amantes. At quantus iam olim à tempore Apostolorum, hominum lethargus? quis tamen potuisset vel tempore Apostolorum, vel nunc potest statuere, quantum temporis supersit vsque ad aduentum Domini? Item Apostolus ait: Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, &c. At nõne incepit hoc oraculum impleri tempore Apostolorum? Et certè erant nouissima illa tempora, vt Ioann. hñc testatur, dicens: Nouissimum tempus est, videmus tamen, quàm diuturna sint hæc nouissima tempora. Item, iam dudum reuelatum est Antichristi regnum, quòdnam illud sit. Quid quòd tempore Bernhaldi, reuelari incipiebat regnum Antichristi? In Psalm. Qui habitat, &c. Sermone 6. pag. 413. ad calcem: At nunc quidem pax (ait) à Paganis, pax ab hæreticis, sed non est pax à falsis filiis. Multiplicasti gentem Domine Iesu, sed non magnificasti læticiam: quoniam multi sunt vocati, pauci electi. Omnes Christiani, & omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiastica dignitatis officia, in turpem quæstum & tenebrarum negocium transiêre: nec in ijs salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum, propter hoc tenduntur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant: pro Episcopatibus & Archidiaconatibus, Abbatibus, alijsque dignitatibus impudenter hodie decertatur, & Ecclesiarum redditus in superfluitatis & vanitatis vsus dissipantur. Superest vt reueletur homo peccati, filius perditionis, demonium non modo diurnum, sed & meridianum: quod non solum transfiguratur in Angelum lucis, sed etiam extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hæc Bernhardus.

Ecce vnum ex præcipuis quæ finem seculi præcurrunt, reuelatio scilicet regni Antichristi. Quis tamen vel potuit, vel potest affirmare, quando venturus sit Dominus? Ex signis igitur istis quæ è longinquo præcurrunt, etsi indicent venturum quidem esse Dominum, & non procul abesse: quò vsque tamen se extendat illud NON PROCVL, definiri non potest. Ex signis verò quæ magis è vicino præcedent, colligetur viciniorem esse finem seculi, quàm antea, & citò venturum Dominum: Ceterum neque quàm diuturnum futurum sit illud CITO, sciri poterit. In Apocal. quoque cap. 3. Ecce (inquit Dominus) venio citò: nondum tamen venit.

Conclusio hæc est. Etsi multa signa præcurrent, & præcedent diem Domini, ac finem seculi: non inde tamen sequitur, Possè è signis certò sciri quando venturus sit Dominus. Neque is est vsus signorum, vt ex ijs possimus cognoscere tempora vel momenta: sed alij sunt vsus.

Sunt autem (meo iudicio) horum signorum vsus tres, ijque contra tria graua in hoc negotio pericula.

Primum periculum est, ne quis omnino statuatur, nullum vnquam mundi finem futurum, nec rediturum Dominum. Contra hoc periculum Dominus in Scripturis tradit, & vt ita credamus mandat: seculum hoc finem habiturum, & se in fine seculi certò rediturum. Huc etiam spectant signa à Domino prædicta, nimirum vt cum illa contingere viderimus, certiores fiamus, Dominum (sicut prædixerat) certò rediturum. Primus igitur vsus horum signorum est, vt illis tanquam sigillis obfignetur promissio de aduentu Domini, nostraque de eo fides confirmetur.

Alterum periculum est, ne, etsi certò credimus finem seculi futurum, & Dominum rediturum: putemus tamen illum procul adhuc abesse, & neêtere moram. Hæc enim cogitatio, mali serui cogitatio est, & hominem in peccatis securum reddit. Contra hoc periculum Dominus vult, vt semper cogitemus, diem Domini non procul à nobis abesse. Huc illæ voces Philip. 4. Dominus propè est. Item Matth. 24. de malo seruo, qui cogitat Dominum non citò venturum, ait: Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, &c. Quasi dicat, citius quàm ille malus famulus putat, redibit Dominus. Luc. 12. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Huc etiam faciunt signa à Domino prædicta, nimirum vt cum iam inde ab initio viderimus, & quotidie videamus multarum euenisse, & euenire: cogitemus, non procul igitur abesse Dominum, atque ita vigilemus & oremus. Ideo Dominus Matth. 24, cum prædixisset signa, subiicit in quem vsus ea prædixerit, dicens: Cum videritis hæc omnia, scitote quòd propè est in foribus. Hic igitur est alter vsus horum signorum, vt scilicet illis visis, sciamus Dominum non procul abesse, sed citò rediturum: ita tamen, vt nunquam, quàm diuturnum futurum sit illud CITO, definiamus.

Tertium periculum est hoc: ne scilicet, quia bonis seruis cogitandum est, fieri posse vt Dominus citò veniat, quàm longum aut quàm breue sit illud CITO, temerè definiamus: & certum tempus, quando venturus sit Dominus, constituamus. Hæc enim certi temporis definitio, præterquam quod temeraria est, est etiam tum contra voluntatem Dei, tum perniciofa. Aduersus hoc periculum Dominus vult, vt agnoscamus & fateamur, tempus illud à nobis sciri non posse: soli verò Deo esse cognitum. Item vult sciamus, non esse nostrum vel inuestigare, vel scire tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Huc etiam pertinent signa, nimirum vt cum videamus illorum multa iam inde à tempore Apostolorum impleri cœpisse, ne tamen statim rediisse Dominum: ne etiam, cum viderimus reliqua, certum aduentus Domini tempus definire audeamus, sed illud Domino soli perspectum esse sciamus.

Ac proinde quia nescimus quando venturus sit, perpetuò vigilemus & oremus. Idco Dominus ait: Si sciret Pater familiâs, qua hora fur veniret, vigilaret vtiq; & non fineret

Matt. 24

fineret

fineret perfodi domum suam. Quasi dicat: Vigilet illa utique tantum hora, qua sciret furem venturum: sed quia scit venturum quidem, ignorat autem qua hora, idcirco totam noctem vigilat, & excubias habet. Ergo & vos estote parati (scilicet perpetuo) quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Quasi dicat: Si sciretis certum tempus illud, quo rediturus sum: sub illud tempus tantum vigiletis, & accingeretis vos in mei occursum. Sed quoniam nescitis quando venturus sim, media nocte, an galli cantu, an mane, & tamen certo scitis me rediturum: idcirco debetis esse perpetuo parati & succincti.

Hi igitur sunt tres precipui usus signorum, finem seculi & aduentum Domini præcurrentium. Primus, ut illis visis certo sciamus, venturum esse Dominum. Secundus, ut illis visis sciamus, Dominum cito rediturum. Tertius, ne tamen illud cito, visis signis, quam diuturnum futurum sit, definiamus: cum multa etiam iam dudum contigerint, nec tamen adhuc redierit. Ceterum nulla signa eo spectant, ut ex illis certum de aduentu Domini, fineque seculi, tempus definire possimus. Ideo Dominus primum signa prædixit Matth. 24. Deinde, ne quis tamen putaret se ex illis signis, quantum adhuc temporis superesset de aduentu Domini, colligere posse: subiicit, De die autem illa nemo scit. Videmus itaque hanc sequelam non recte consequi: Prædicta sunt signa, quæ finem seculi præcurrunt: Ergo cum præcurrunt, & contingunt, colligere possumus inde, quantum temporis usque ad aduentum Domini super sit. Alios enim esse usus horum signorum, quam ut ex ijs possimus aut debeamus certum de aduentu Domini & fine seculi tempus concludere: demonstratum est. Ex ijs autem omnibus facile colligere possumus, quid homini Christiano in hac quaestione De fine seculi faciundum sit. Nunc itaque de officijs Christiani hominis, in quaestione De fine seculi seruandis, ex ijs quæ dicta sunt, differamus.

Cap. 6. Quenam Christiano homini in quaestione de fine seculi seruanda sint.

Certo credendum est, seculum hoc tandem aliquando finem habiturum, rediturum Dominum, mundumque ipsum esse renouandum. Quare cum cæli sint & terra renouandi: ut ipsi quoque indies renouemur, curandum est, ut docet Petrus 2. Epistola, capite tertio.

Quando verò futurus sit finis, non est curiose inquirendum: tum quod sciri non potest, iuxta dictum Christi Matth. 24. tum quod nobis prohibetur illo dicto Actor. 1. Non est vestrum nosse tempora, &c.

Et si nescimus quando venturus sit: interim tamen est desiderandum ut cito veniat, iuxta illud Matth. 6. Adueniat regnum tuum. & hoc est gratum Deo, teste Paulo 2. Timoth. 4. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui desiderant aduentum ipsius.

Et si nescimus quando: est tamen perpetuo cuique cogitandum, fieri posse ut citius veniat Dominus, quam mundus putet. Hoc est enim discrimen inter bonum & malum seruum. Malus (Luc. 12.) ait: Moram facit Dominus, &c. Bonus verò dicit: Nescio quidem quando venturus sit Dominus: sed indies illum expecto. veniet enim, ut ipse prædixit, sicut fur in nocte: id est, de improviso. Deinde, et si (ut hoc interim dem) non cito venturus est ad iudicandum mundum vniuersum: fieri tamen potest ut cras veniat, ad priuatas vitæ meæ rationes à me exigendas.

Quia nescimus quando venturus sit Dominus, vigilandum & orandum perpetuo est: & lapides oleo fidei & bonorum operum ita instructi & retinendæ, perinde atque si cras ventu-

venturus sit: iuxta illud Christi Matth. 24. Vigilate itaque, & orate, quia nescitis quahora Dominus vester venturus sit. Quare nullo modo malus seruus imitandus est, qui, quia sibi multam moram Domini promittit: cum ebriosis inebriatur, & conseruos percutit, Luc. 12.

6. Si tentemur ab impatientia, cur non citò veniat dies Domini, quare Dominus tamdiu differat aduentum suum: sequamur consilium Petri Apostoli in 2. Epist. cap. 3. Oculos nostros non in hunc temporalis vitæ decursum, sed in ipsam æternitatem, vbi omne quantumuis diuturnum tempus mox euanesceat, defigamus: cogitemusque, annos mille ante Dominum esse sicut diem vnum, iuxta illud 2. Pet. 3. Porro ne hoc vos vnum lateat, dilecti, quod vnus dies apud Dominum perinde est vt mille anni, & mille anni vt dies vnus. Hanc igitur dilationem nihil esse sciamus.

7. Si verò vel à nostra curiositate tentemur, vel ab hominibus interrogemur, cur Dominus tamdiu differat aduentum suum? Respondeamus, sicut Petrus docet: Ideo differre, vt omnes ad resipiscentiam expectet, & quod non deleatur perditione hominum.

8. Si quaestio proponatur, An Dominus citò vel serò venturus sit: sequamur doctrinam Christi, & respondeamus, Nos nescire. Hæc enim tutior est via. Etenim si dicas, Dominus non citò veniet, tardabit adhuc: proprium hoc est serui mali Luc. 12. Matth. 24. Et parit vel securitatem carnalibus, vel desperationem pijs, qui aduentum Christi desiderant. Si verò dicas, Citò veniet: est quidem hoc boni famuli, cogitare Dominum citò venturum, illumque indies expectare: & ad studium componendi te, & obuiam eundi Domino, ista cogitatio incitat: sed tamen temeritatis est, id quod ignores, affirmare. Si autem dicas te nescire, & ideo quia nescis vigilandum esse, & orandum: & boni, & humilis famuli officium feceris, ideoque tutiorem viam ingrediëris. Est enim hoc tertium, iuxta Euangelium Christi: Vigilate igitur, quia nescitis. Augustinus quoque in Epist. ad Hesychium, ponit tres bonos famulorum ordines. Vnus ait: Vigilemus, & oremus, quia citius veniet Dominus. Alter dicit: Vigilemus, & oremus, quia tardè quidem veniet Dominus, sed vita nostra est brevis. Tertius verò ait: Vigilemus, & oremus, quia nescimus quando venturus sit Dominus. Et huius sermonem magis probandum esse docet, quia iuxta verba Christi loquitur, qui dixit: Vigilate, & orate, quia nescitis quando venturus sit Dominus.

9. Ceterum etsi nescimus quando futurus sit finis seculi vniuersalis: cogitemus finem tamen seculi cuique nostrum vicinum esse. neque enim diu viuere possumus. Et cum hoc certum nobis sit: perpetuò vigilemus, & oremus: nec imitemur malum famulum, qui dicit, Moram faciet Dominus meus, &c. Faxit Dominus, vt hæc omnia visceribus cordium nostrorum inhaereant.